



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Michael. Baii Regii In S. Theolog. Profess. Acad.  
Lovaniensis, Ad Qvaestiones Philippi Marnixij  
Sanct-Aldegondi De Ecclesia Christi, & Sacramento Altaris  
Responsio**

**Bajus, Michael**

**Coloniae, 1579**

**VD16 B 930**

Respo[n]sio ad priores Quaestiones, quae sunt de Ecclesia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30353**

# RESPONSIO

AD PRIORES

*Quæstiones, quæ sunt  
de Ecclesia.*



DOMINVS de VVig-  
nacourt mihi hæcenus &  
de nomine & de facie ig-  
notus, sed tuæ generosi-  
tati, vt intelligo, affinita-  
te coniunctus, Genero-  
sissime atque eruditissime Sanct-Algon-  
de, multas mihi quæstiones obtulit, quas  
aiebat tractandas, atque soluendas ad me  
per te transmitti: facile fuisset ætaté, quo-  
tidianam prælectionem, & negotiorum  
turbam, quibus quotidie in Vniuersitate  
Louaniensi, in Ecclesia sancti Petri, & in  
Collegio nostro Pontificali interpellor,  
& distrahor, excusare; sed in re tam pia,  
tamq, patriæ utili, si fortè dignaretur Deus  
in te operari, quod magnopere exopto,  
quodque quotidianis precibus instanter  
ab eo postulo, nolui dilationem quærere,  
confidens quòd is, qui tibi hunc quærendi  
affectum indidit, etiam mihi suggeret, me-  
que docebit quid & quomodo responde-  
re de-

M. BAIL RESPONSIO. QA

re debeam, vt tibi in bonum cooperetur  
 mea responsio: vtrumq; enim Dei donum  
 est, & veritatem syntere, hoc est, non con-  
 tendendi, sed sciendi studio atque intenti-  
 one querere, & illam inuenire, inuentam  
 que sic proponere, vt honorificè suscepta,  
 debitam suo auctori gratiarum referat ac-  
 tionem. Ne autem mora & responsionis  
 prolixitas tibi fortè molesta sit, si distule-  
 ro eam mittere, donec vniuersas quæstio-  
 nes absoluerò, decreui primum ijs tantum  
 respondere, quæ de Ecclesia proponun-  
 tur, & responsionem hanc mittere, vt co-  
 gnito quomodo tuæ eruditioni satisfecit,  
 alacrius reliquarum tractationem ag-  
 grediar & prosequar: idque non carptim  
 & seorsim de singulis quæstionibus disse-  
 rendo, sed vno quodam tenore sermonis,  
 quia quæstiones ita inter se conuenienti  
 ordine contextæ sunt & coadunate, vt ipsa  
 earum dispositio id omnino postulare vi-  
 deatur. Quod si fortè non per omnia tuæ  
 intentioni satisfecero, non propterea de-  
 bes de assequenda veritate desperare. Non  
 potest homo accipere quicquam, nisi da-  
 tum fuerit ei de celo; sed quod hodie no-  
 bis clauditur, potest cras petentibus, & ad  
 aures diuinæ misericordiæ pulsantibus a-  
 periri, aut per eloquia sanctarum scriptu-  
 rarum.

Ioannis 3.

AD QVAEST. SANCT-ALDEG.

rarum, aut per fermocinationes fratrum,  
aut per internam diuinæ inspirationis gra-  
tiam, vbi sine sonis verborum, sine elemen-  
tis literarum veritas ipsa tanto dulcius,  
quanto secretius loquitur;

Quæris igitur:

An Ecclesia, eiusque constitutiones, seu traditiones  
nullum habeant *ἄλλο* aliud, hoc est, vt inter-  
pretor, iudicium, seu ex quo iudicentur, nisi con-  
suetudinem eorum, qui se profitentur Romanam  
sectari religionem, quam vocant catholicam?

An hoc *ἄλλο*, si quod est aliud, constet pagina sa-  
cra scriptura sola?

An patrum explanationibus, & commentarijs?

An conciliorum decretis?

An Romanorum Pontificum placitis?

An Scholasticorum pronunciatis?

An passim sequatur, vt ait Satyricus, coruos testa-  
que, lutoque?

An ecclesia tribuat authoritatem verbo Dei, an po-  
tius verbum Dei ecclesie authoritatem atque axi-  
oma conferat?

Ad primam & secundam quæstionem  
clarissimè respondet Aug. cap. 2. lib. de Vni-  
tate ecclesie his verbis: Inter nos & Dona-  
tistas questio est, vbi sit ecclesia; quid ergo  
facturi sumus? in verbis nostris eam quæsi-  
turi, an in verbis capitis sui Domini nostri  
Iesu Christi? Puto quòd in illius verbis  
eam

M. BAII RESPONSIO.

eam quarere debemus, qui veritas est, & optime nouit corpus suum, nouit enim Dominus qui sunt eius. Et cap. 3. eiusdem libri: Non audiamus, hæc dico, hæc dicis: sed audiamus, hæc dicit Dominus: sunt libri Dominici, quorum authoritati vtrique consentimus, vtrique credimus, vtrique seruimus, ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. & infra: Nolo humanis documentis, sed diuinis oraculis sanctam ecclesiam demonstrari; id quod in reliqua parte libri diligenter exequitur. Primum quidem varias futuri regni Dei figuras insinuans, sed tamen nolens ijs, quæ ab ingeniosis hominibus huc atque illuc conuerti possunt, suam disputationem committere: statim transit ad scripturas veteris testamenti, quæ maiori euidencia prænunciant, futurum Christi regnum non vno aliquo angulo constituendum, sed toto orbe terrarum diffundendum, quàm prænunciant mundi Saluatorem aliquando venturum. Deinde transit ad scripturas noui testamenti, quibus euidenter ostēdit, id toto orbe terrarum post Christi resurrectionem impletum, quod varijs figuris & manifestis prophetijs de ecclesia Christi toto orbe terrarum diffundenda fuerat ante prædictum. Longū esset ipsas ytriusq; testamēti scripturas

ras

## AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

ras sacras prosequi, & quantum mihi appa-  
 ret superfluum, quia in iam dicto D. Augu-  
 stini libello de Vnitate Ecclesiae, tam con-  
 uenienti ordine disponuntur, tanta eru-  
 ditione atque perspicuitate differuntur, vt  
 per me aut alium quempiam similem ali-  
 quid velle adijcere, potius sit eas obscura-  
 re, quam illustrare. Itaque, vt compendio  
 vtar, ego eruditionem tuam ad iam dictum  
 libellum remitto, ex quo etiam non tan-  
 tum perspicies, iudicium de Christi eccle-  
 sia ex scripturis esse petendum, sed etiam  
 quod ex sola scriptura peti debeat. Quan-  
 quam, sicut eruditissima prudētia tua non  
 dedignatur meae tenuitatis obsequio velle  
 vti, vt in scripturis sanctis verum de Chri-  
 sti ecclesia iudicium cernat; sic etiam mira-  
 ri non debet, si veri fideles, vt ex scripturis  
 sanctis de eadem ecclesia verum iudicium  
 accipiant, eorum se studio, diligentia, & te-  
 stimonio iuuare conentur, qui praeter ceteris  
 à Deo vera sapientia ditati fuisse credun-  
 tur: Cuiusmodi fuit D. Augustinus, de quo  
 scribit Prosper in carmine contra ingra-  
 tos; quod cum nulla sibi tribuit bona, fit  
 Deus illi omnia, & in sancto regnat sapien-  
 tia templo. Fuerunt & alij toto orbe no-  
 tissimi, quorum studio & autoritate ad  
 hanc rem iuuari possumus. Ad eundem  
 sum

M. BAII RESPONSIO.

sum referenda existimo Conciliorum de-  
 creta, placita Romanorum Pontificum, &  
 pronunciata Scholasticorum, quibus ta-  
 men Scholasticis, vt verum fatear, subinde  
 plus tribuerem, si magis scripturis sanctis  
 incumbentes, ex philosophorum gentiliū  
 tenebris non tam multa emblemata suis  
 disputationibus intexerent. Quæstio au-  
 tem, qua quæritur: An Ecclesia verbo Dei,  
 an potius verbum Dei ecclesiæ authorita-  
 tem & dignitatem tribuat? similis est quæ-  
 stioni, qua quæreretur: An Christus in eu-  
 angelio authoritatem Ioanni Baptistæ tri-  
 buerit, dicens: Internatos mulierum non *Matth. 23.*  
 surrexit maior Ioanne Baptista; an verò  
 Ioannes Christo, cum ait: Ecce agnus Dei, *Ioannis 1.*  
 ecce qui tollit peccata mundi: hic enim ve-  
 nit in testimonium, vt testimonium perhi-  
 beret de lumine, vt omnes crederent per il-  
 lum. & discipuli Ioannis: Qui erat trans *Ioannis 3.*  
 Iordanem, cui testimonium perhibuisti (in-  
 quiunt) hic baptizat. Nam in quantum  
 per testimonium Ioannis, qui fuit vitæ ad-  
 mirabilis, inducti sunt homines, vt in Chri-  
 stum crederet, negare non possumus, quin  
 Ioannes apud homines, qui propter infir-  
 mitatem verum lumen, quale in se est, vide-  
 re non poterant, sed tanquam in nocte  
 constituti lucerna egebant, vt fontem lu-  
 minis

minis

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

Ibid. 5. f

minis cernerent, aliquam Christo authoritatem tribuerit, licet Christus hoc testimonio non indiguerit, sicut apud Ioannē sequitur, cum ait: Vos misistis ad Ioannē, & testimonium perhibuit veritati: ego autem non ab homine testimonium accipio, & infra: Ego habeo testimonium māus Ioanne, opera enim quæ dedit mihi pater, vt perficiam ea, ipsa opera, quæ ego factis, testimonium perhibent de me, quia pater misit me, & qui misit me pater, ipse testimonium perhibuit de me. Sed quia Ioannes lucerna tantum fuit, luce lucens aliena, quæ vero lumine destituta, statim ad tenebras suas recidisset, ideo longè conuenientius dicitur, quòd Christus, qui est vera lux, quæ tenebrescere non potest, & lumen, & authoritatem, & dignitatem Ioanni tribuerit, quàm contra.

1. Tim. 3.

Simili modo etiam quia testimonio patrum, & totius Ecclesiæ inducimur, vt licet veritatem in se cernere non possimus, atamen scripturas canonicas pro sacris & diuinis habeamus, rectissimè dicitur, quod patres, & Ecclesia Dei viui, quæ est columna & firmamentum veritatis, non quidem lumen & veritatem, sed apud fideles & multos infideles, qui eius testimonio commouentur, authoritatem tribuat. Sed quia scrip-  
ptura



M. BAII RESPONSIO.

ptura sacra, quæ nec falli potest, nec fallere, ipsam veritatem in se continet, Ecclesia vero non nisi veritate in scripturis sanctis descripta illuminatur, & sibi derelicta facile posset in suas tenebras relabi, ideo conuenientius dicitur, quod scriptura sacra ecclesiæ Christi authoritatem & dignitatem tribuat, quam contrà.

De constitutionibus ecclesiæ hoc solum dico, quòd vbi regnum agnoscitur, ibi non possunt constitutiones negari, cum omne regnum pro suo regimine constitutiones habeat. Porro Ecclesiam Christi regnum esse agnoscit, non tantum Daniel in propheta sua, dicens: quod suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur; sed etiam Ioannes Baptista, & Christus ipse, cum aiunt: Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cœlorum. Facile possent hæc longè fufius & copiosius ex scripturis sacris differi, sed puto id a cumini ingenij tui minus congruere, quod Deus in ijs quæstionibus illustrare dignetur, in quibus aut caligare, aut saltem adhuc hærare videtur. Bene vale Generosiss. atque Eruditiss. Domine. Louanij 22. Octobris 1577.

EPI